



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1849

XVIII. Der Markgraf Waldemar verkauft einige Einkünfte und den Zoll in Brandenburg an Nikolaus Steinhaus und an dessen Sohn, am 6. Juni 1316.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54022)

tur, que Smalvischerye vocatur, quando et quotienscunque ipsis videbitur expedire. Ceterum volumus, ut sepedicti burgenfes edificent, teneant et reparent locum in fossato ejusdem civitatis edificatum, qui theutonice vlotrenne nuncupatur, et omnes fructus, qui civitatem attingunt, ab eodem recipiant et in ipsius civitatis usus distribuant et commoda, sicut hactenus consueverunt. Preterea volumus, dictos nostros burgenfes gaudere privilegio gracie specialis, ut cum fedes cathedralis dicte adhereat civitati, nullus burgenfum civitatis ejusdem aut a viris religiosis aut a clericis aut a laycis aut a personis cujuscunque conditionis fuerint, extra civitatem predictam evocetur aliquo modo vel citetur, sed in castro vel in civitate respondeat juris via, nisi quis contra eos vel aliquem ipsorum in Romana curia judicem obtinuerit specialem. Hec omnia et singula damus et concedimus dicte nostre civitati Brandenburg et burgenfibus ipsius, presentibus et futuris, sicut ab antiquis habuerunt temporibus, perpetue possidenda. Et ut hec omnia a nobis et nostris heredibus et successoribus maneat dictis nostris burgenfibus et civitati penitus inconculsa, nostro sigillo de certa nostra scientia muniri fecimus prefens scriptum in seculorum secula valiturum. Testes quoque sunt illustris domina Anna Ducissa Wratiflavienfis, nostra genitrix honoratissima, nobilis vir Henricus, comes de Luchow, Slatiko dapifer noster, Buffo Gruwelhut, Christianus de gherardistorp, Henricus de Cracow, Petfo de Loffowe, Borchardus de Berthenfleve, Buffo de Mylow, Henningus de Vorland cum multis aliis fide dignis. Actum et datum Spandowe per manum Johannis plebani de gorlyz, nostri Capellani, anno domini M^o. CCC^o. quinto decimo, feria secunda post festum omnium sanctorum.

Nach dem Original. — Gercken's Fragm. March. III. S. 34 ff. No. XV. Geschichtl. Nachrichten von Brandenburg. S. 108 ff.

XVIII. Der Markgraf Waldemar verkauft einige Einkünfte und den Zoll in Brandenburg an Nikolaus Steinhaus und an dessen Sohn, am 6. Juni 1316.

Noverint universi, ad quorum intellectum productum fuerit prefens scriptum, quod nos Waldemarus, die gratia Brandeb. et Lufatie marchio, contulimus et presentibus conferimus discretis viris et honestis civibus, Nicholao et ejus filio Johanni, de Steinhus dictis, eorumque veris heredibus septem talenta cum XIV solidis et duos choros falis cum dimidio choro falis percipienda et habenda in thelonio nostro Brandenburgensi singulis annis et sempiternis temporibus cursibus libere omni precaria et importuno servitio circumscripto. Amplius in hoc scripto publice profiteamur, quod discretis domine et honeste uxori predicti Nicholai contulimus et presentibus conferimus medietatem predictorum bonorum nomine dotalitii ad tempora sue vite libere, ut premissum est, percipiendam. Poterunt etiam prefati cives Nicholaus et Johannes aut ipsorum legitimi heredes thelonarios, qui predictum censum singulis annis et deputatis ad hoc temporibus non solverint, in nostris civitatibus, ubi eos esse perceperint, licite detinere, sicut et nos facere possemus, si sepedictus ad nos pertineret census, quousque de prefati census solutione sufficientem ipsis fecerint cautionem. Et pro hujusmodi census quolibet frusto iidem cives pro se et suis heredibus sex marcas Brand. argenti et ponderis persolverunt, de quibus ipsos presentibus quitos et solutos penitus nunciamus, dantes in hujus rei firmiorem certitudinem presentem literam nostri sigilli figura de nostro consensu et certa scientia communitam. Actum et datum in prefata civitate Brandenburg, anno dominice incarnationis millesimo trecentesimo

sexto decimo, dominica Trinitatis, presentibus nostris fidelibus Conrado de Redere, Brosekino pincerna, Thiderico de Ridbeke, Mathia de Bredow; Arnoldo Riken, Wedeghone nostre camere magistro, Rodolpho Rosen militibus, nec non Andea Rosen, Gotfcalco de Bonen, Eilkingho et Jacobo de Dobberiz famulis, Everhardo preposito in Stolpenostro protonotario et multis fidelibus.

Nach dem Original.

XIX. Der Markgraf Woldemar verkauft an die Neustadt Brandenburg das Dorf Stenow, den Riez Woltyz und den Krug Cracow, am 26. Jan. 1319.

In nomine domini Amen. Negotiorum diversitas ac temporis varietas adeo mentem et memoriam hominum solet excecare, quod actus humani, si non per scripture solidarentur testimonium, in confusionem et oblivionem vergerent sempiternam. Inde igitur est, quod nos Woldemarus, dei gratia Brandeb. et Lusatiae marchio, tenore hujus litere in notitiam publicam universonum hominum tam presentium quam futurorum volumus devenire, quod dilectis nostris civibus nove civitatis nostre Brandenburg, presentibus et futuris dedimus et per presentes litteras donatione sollempni donamus proprietatem plenam ville Stenowe, nec non proprietatem vici, qui dicitur Kytz seu Woltytz cum taberna Cracowe nec non omnium singulorum, ad ipsam villam, vicum et tabernam pertinentium cum agris cultis et incultis, pratis pascuis, aquis, lignis, precaria denariorum et frumenti, cum supremo et inferiori iudicio, curruum et alio quovis reali et personali servitio, cum universonis suis debitis limitibus et contentis intra limites ipsos, licet de ipsorum aliquo facienda foret mentio specialis, cum omni jure, commodo fructu et utilitate, possessione pacifica iustoque et proprietatis perpetuo titulo possidendam exceptis duobus choris filiginis, quos magnificus princeps dominus Otto longus, quondam marchio Brand. pie recordationis, domui sancti Spiritus civitatis ejusdem cum plena proprietate in villa predicta donavit, in quibus dicti nostri cives nichil juris penitus retinebunt, renunciantes in hiis scriptis sollempniter et expresse dicte ville, vico et taberne, nec non omni juri, quod nobis aut nostris successoribus ex quacunque causa possit competere in futurum, ad villam ipsam, vicum et tabernam, nec non omnium suorum pertinentium, renunciacione debita et consueta, nichil juris nobis aut nostris successoribus in ipsa villa, vico et taberna eorumque attinentiis omnibus reservantes. Dicti quoque cives de ipsa villa, vico et taberna eorumque omnibus et singulis attinentiis possunt licite facere et disponere juxta sue libitum voluntatis. Ipsi etiam cives de villa Stenowe usque in aggerem veteris molendini plenum et omnimodum iudicium optinebunt. Et ne de causa predictae nostre donationis aliquod apud posteros dubium oriatur, dicti cives pro se et suis successoribus nos et nostros successores quitos dimiserunt de centum et triginta quinque marcis argenti Brandeb. et ponderis, quas ipsis debuimus ex justa causa, et supra dederunt nobis ultra hoc centum et triginta octo marcas argenti predicti in pecunia numerata, de quibus dicimus ipsos quitos litteras per presentes. Ut autem premissa omnia et premissorum quodlibet robur forciatur perpetue firmitatis, hanc litteram super eo dari iussimus, nostri figilli munimine firmissime de nostra certa scientia communitam temporibus perpetuis valituram. Testes quoque presentes fuerunt Droyseko, noster dapifer, Conradus de Redere, Petseco de Lofsowe, Conradus et Albertus de Clepcz, Johannes et Hinricus de Crochere, Mathias de Bredow, milites, Everardus, Stolpenfis prepositus, ac Hermannus de Luchowe cum